Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2797
Quelle:
Copyright:

laicus *Tornacen. Leodien.* et *Patauien.* Dioec. Notarius *Georg. Heydingk de Laybaco* clericus *Aquilegien.* Dioec. Quanto temporis et crumenae dispendio jura tunc sua Septentrionales quaerere oportuit!

XXVIII. *fol.* 275. Absque titulo: *Defensorium Iuris*, quod incipit: *Quia bone rei consilium dare* &c. Autor mox se prodit: *Ideo ego Gerardus Monachus Riui sancte Marie Cistercien. ordinis videns* &c. Conditum fuit teste *de Visch* in *Bibl. Scriptt. Ord.* p. 386. Coenobium hoc in *Holsatia* et Dioec. *Slesvicensi* anno 1242. opusculum vero praesens jam Sec. XV. iterato in *Libro*, uti subscribitur, *plurimorum Tractatuum Iuris* editum fuit, puta, bis *S. l.* et *a.* f. dein *Argentinae* 1488. 1490. 1491. f. ut mirari subeat, in *Bibl. med. et inf. Lat.* nonnisi Cod. mspt. *Quedlinburgensem* excitari a *Fabricio*, dicique *Gerardum* Monachum *de Imo S. Mariae*, quem locum in Elencho *Monasteriorum* Ord. Cist. apud *de Visch cit.* frustra quaesieris, quanquam nec in ipsa ejus *Bibliotheca* aliud invenias, quam *Gerardum de Riue.* Ceterum conatus est vir hic in suo *Tractatu* omnis generis Exceptiones Reis adversus Actores suggerere.

XXIX. *fol.* 291. Acta varia in Curia *Romana* et *Florentiae* minoris momenti. *1mo.* Protestatio quaedam Procuratoris Comitum *Ciliae* in causa *Decimarum* contra Capitulum *Zagrabiense* sursum ad N. XXV. pertinens. *2do.* Libelli quidam supplices Privatorum ad Papam pro obtinendis beneficiis et gratiis. *3tio.* Instrumenta litis inter *Vlricum Perl* Rectorem parochialis ecclesiae in *Cisterstorff* Dioec. *Patauiensis*, et Abbatem *Fridericum* Conventumque Ord. *Cisterc.* cujus nomen non exprimitur, qui tamen est *Claravallensis* seu *Zwetlensis Austriae*, in caussa Decimarum. Adtingitur negotium istud in *Bern. Linck Annalib. Austr. Claravall.* T. II. ad an. 1423. et 1424. quo anno defuncto *Vlrico Perl* Ecclesia in *Cisterstorff* Rectorem e gremio Conventus accepit. *4to.* Prolixum rursus Scriptum pro Comitibus *Ciliae* in caussa Decimarum contra *Zagrabienses.*

XXX. *fol.* 302. p. 2. *Wladislai Poloniae* VI. *Hungariae* I. Regis Epistolae III. quibus se *Hungarie* Regnum consecutum esse significat. *Prima* est ad *Eugenium* Papam data *Cracovia X. die mens. Marcij Anno &c. XL.* in qua post gratulationem de reductis ad unionem *Graecis* et *Armenis*: *Prelati et Barones Regni Hungarie ea mente, ut sibi et regno de futuro Rege feliciter et opportune prouiderent, ad conspectum nostrum in Ciuitate Cracouiensi accesserunt, et inibi post habitam, quam tanti ponderis res exigebat, deliberationem fulti auctoritate sufficienti et mandato speciali personam nostram vnanimi voto et desiderio concordi in suum dominum et Regem Regni Vngarie predicti tocius Regni ejusdem nomine nominauerunt et elegerunt, electione huiusmodi die hesterna*